# CLERI ROMANO CATHOLICI
Præcipuarum in Hollandia Auſtrali Civitatum

# PROTESTATIO
Adverſus Editores & Divulgatores quarumdam

# EPISTOLARUM,
Quæ ſub nomine Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi
Domini Joannis Baptiſtæ Buſſii, Archie-
piſcopi Tharſenſis, & Apoſto-
lici apud Colonienſes
Nuncii in vulgus
ſparguntur.

*Laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum.* 1 Timoth. 4.

DELPHIS,

Apud HENRICUM RHENANUM.
MDCCIX.

Digitized by Google

*Malorum probatur extremum*, ut Cicero teſtatur, *inde detrimentum ſuſcipere*, *unde putabantur auxilia provenire.* Petrus Alliacenus Cardinalis Sermone quem habuit coram Clemente Papa VII.

*Mundus oneratus eſt . . . tyrannide fratrum mendicantium*, *qui cum ſint ſatellites Sedis Romanæ*, *tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt*, *ut ipſi Romano Pontifici atque ipſis adeo Regibus ſint formidabiles. His cum pro ipſis facit Pontifex*, *plus quam Deus eſt: in his quæ faciunt adverſus eorum commodum*, *non plus valet quam ſomnium. Non damno omnes*, *ſed plurimi ſunt hujus generis.* Eraſmus Alberto Archiepiſcopo & Principi Moguntino, Cardinali, Epiſt. 477. Novæ Editionis.

*De Pontifice peſſime merentur*, *qui per adulationem illi tribuunt quod ne ipſe quidem agnoſcit. Et tamen nonnulli*, *qui movent has tragædias*, *non faciunt ſtudio Pontificis*, *ſed hujus poteſtate ad ſuum quæſtum*, *ſuamque tyrannidem abutuntur.* Eraſmus Ibidem.

*Impius ſit qui non faveat Romani Pontificis dignitati: ſed utinam ſciat ille quantum officiant illi ſtolidi quidam*, *qui ſibi videntur eam pulchre tueri.* Eraſmus Franciſco Cheregato Epiſt. 530.

*Non verebor in genere dicere nullos magis officere pontificiæ dignitati*, *quam qui illi vel ſtulte favent vel corrupte. Quis enim neſcit Romano Pontifici eſſe*, *quo vel perdat*, *vel terreat quos velit? Sed quod unquam fuit imperium tam inſtructum*, *quod ſolus metus reddiderit diuturnum.* Eraſmus Laurentio Campegio Cardinali Epiſt. 547.

# PROTESTATIO

## Adverſus Editores ac Divulgatores quarumdam Epiſtolarum, quæ ſub nomine D. Joannis Baptiſtæ Buſſii Archiepiſcopi Tharſenſis & Apoſtolici apud Colonienſes Nuncii in vulgus ſparguntur.

QUemadmodum Romana Sedes privilegia ſua tutatur, ita & ſua cuique Eccleſiæ jura cupit integra illæſaque manere. * *Sicut ab aliis*, ſcribit Gregorius I. *noſtra exigimus, ita ſingulis ſua jura ſervamus.* Cui conſonat Hadrianus IV. † *Apoſtolicæ officium dignitatis, creditæ nobis, & diſpenſationis debitum utiliter exequi comprobamur, cum collatam unicuique Eccleſiæ dignitatem provida ſolicitudine cuſtodimus, & ſingulis Eccleſiis ſua jura illibata ſtudemus integra cuſtodire.* Et profectò vix quidpiam familiarius in Eccleſiaſticis Hiſtoriis, quam iis Eccleſiis quæ ob minorem potentiam patebant oppreſſioni injuriæque potentiorum, præſtitam paſſim opem ab Romana ſede fuiſſe: eamque ſemper ſedulò advigilaſſe ne cui Eccleſiæ ſua privilegia per vim inſidiasve, aut præter juris ordinem eriperentur. Cum poſt receptum per Latinos Byzantium Patriarcha Conſtantinopolitanus imperium quod ante non habuerat in quaſdam Eccleſias & Epiſcopatus affectaret, eâque de

* Epiſt. Lib. 2. Ep. 29. ad Presbyteros & Diaconos Mediol. Eccleſiæ.

† Hadrian. IV. Epiſt. ad Henricum Patriarcham Gradenſem.



Digitized by Google

re cum Innocentio III. per literas egiſſet, exploſa eſt a ſummo Pontifice & rejecta hominis ambitio: * *Juris namque ratio poſtulat*, ait Pontifex, *ut in eorum præjudicium, quibus eædem Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, nihil ordinemus de ipſis, cum nec citati ſint nec convicti, nec per contumaciam ſe abſentent.* Cumque idem Patriarcha Archiepiſcopum ſaltem Cyprium, aliosque inſulæ Epiſcopos ſubjici ſibi rogaret, nihildum profecit: reſponſum enim eſt ab Innocentio: † *In eorum abſentia circa ſtatum eorum non debemus aliquid immutare. Juſtitiam tamen non negabimus tibi, cum eam duxeris poſtulandam.* Neque ſeculo nono periclitanti Turonenſium Eccleſiæ defuit ſolicitudo Hadriani ſecundi: verba ejus ad Carolum Calvum ita ſonant, ‡ *Non patiamini tantum locum peſſum ire, & in deſolationem, præſertim cum fuerit ex antiquo Metropolis . . . . . Et cum aliæ, quæ ſub eâ ſunt civitates, jam ſint pæne deſtructæ, harum matrem tantam & metropolim ne patiamini deſtrui, deſolari, & dehonorari veſtro in tempore. Quin potius ſtudete eam de rebus veſtris propriis ditare, continere, & extollere, quia tunc ea in æternum vobis confirmatis, cum ea Eccleſiarum Dei obſequiis condonatis, & reſervatis omnibus ſua jura metropolitanis.* Faxit Deus Optimus Maximus ut hic idem animus Clementi XI. habenas Reipublicæ Chriſtianæ feliciter moderanti, ejusque ſucceſſoribus conſtet immotus, atque perſeveret.

* Decretal. Gregor. L. 1. Tit 33. C 8.

† Ibid.

‡ Epiſt. 33. ad Carolum Calvum.

Porro id ratum atque indubitatum eſt controverſias quæ ſubinde in Eccleſiis enaſcuntur, nuſquam exactius expendi, nuſquam felicius componi poſſe quam ubi primum exortæ fuerunt: ibi enim faciliora omnia ad veritatem elucidandam: ibi teſtes, documenta, cæteraque veritatis inſtrumenta præ manibus ſunt, vel nullo ſaltem negotio conquiruntur.

Ut

Digitized by Google

Ut proinde non immeritò priſcis Patribus Conciliisque viſum ſit in ſuâ cujuſque provincia cauſas omnes finiendas eſſe: quæ quidem ſententia tam apertæ æquitatis eſt, ut illi Romanorum Pontificum nec obſcura nec infrequens acceſſerit approbatio. Imprimis tamen id valet ad Belgas, quorum ſecuritati hac in re per pontificia decreta proſpectum eſt, cautumque ne ullâ cujuſvis auctoritate ad peregrina tribunalia evocentur. Et ut paucis rem expediamus, quid manifeſtius, quid in hanc rem illuſtrius memorabili illo graviquc decreto Leonis X. quo Anno 1517. Diæceſin Ultrajectinam omnesque ejus ſubditos ſub Epiſcopo Philippo a vexatione peregrinorum tribunalium vendicavit *Decernentis, omnes & ſingulos proceſſus, ſeu ſententias, executiones, nec non excommunicationes, ſuſpenſiones & interdicta, aliasque ſententias, cenſuras & pœnas, quas contra ſtatutum & ordinationem ac inhibitionem iſtam quavis, etiam Apoſtolicâ auctoritate, ferri & promulgari contigerit, nullius roboris vel momenti exiſtere.* Atque ita quidem juribus & tranquillitati Belgarum conſultum fuit: & pro his legibus juribusque majores noſtri tam ſolicitè excubuerunt, ut celeberrimus Stokmannus ſcribere haud vereatur: * *Hoc privilegium Belgicæ Eccleſiæ tantis terrarum ſpatiis ab Urbe diſſitæ, & ad extrema Oceani conſtitutæ, tam tenaciter & non interrupto tenore conſtanter hactenus cuſtodierunt, ut nullum ab omni ævo exemplum evocationis ad Urbem, quæ ad effectum perducta ſit, poſſit proferri.*

* In Defenſ. Belgarum contra Evocationes &c. C. 3.

Verum enimverò quantâ intercapedine cælum a terrâ diſcriminatum eſt, tantum ea quæ hiſce temporibus ſub nomine Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Joannis B. Buſſii, Archiepiſcopi Tharſenſis & Nuncii Apoſtolici

apud Colonienſes, adverſus Eccleſiam noſtram tentantur, diſtant a commemoratis ſupra fundamentis.

Nam primò quidem conſtat a plurimis uſque ſæculis fuiſſe penes Eccleſiam Ultrajectinam liberam Epiſcoporum ſuorum electionem, donec Anno 1528. Carolo V. conceſſum eſt ut nemo deinceps eligeretur niſi quem aut ipſe, veluti dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ, aut ipſius ſucceſſores deſignaſſent. Sedes porrò Romana confirmabat electos, nec quidquam præterea juris ſibi adrogabat. Et hæc ipſa Romanæ Sedis confirmatio nonniſi poſterioribus ſeculis, ut omnibus conſtat, invecta eſt, quæ olim Coloniâ, ſcilicet a Metropolitano, non Româ accerſenda fuit. Hæc omnia latius deducta ſunt in
(* Pag. 13.) * *Aſſertione Juris*, ubi eâdem operâ explanarur quæ fuerint partes Capitularium Ultrajectenſium in eligendis poſcendisve aut proponendis iis, qui poſt excuſſam Hiſpanorum dominationem titulo Archiepiſcoporum Philippenſium aut Ulttajectenſium, vel Vicariorum Apoſtolicorum Epiſcopale hîc munus obierunt. Palam ergo eſt extraque omnem controverſiam Ultrajectinæ Eccleſiæ nec Epiſcopum, nec alium quemvis qui eam dignitatem quocumque nomine adminiſtret nolenti poſſe obtrudi. Hoc nihilominus tentavit, hoc quavis ratione tentare pergit Illuſtriſſimus Buſſius, qui inſcio Clero neque conſultis Capitularibus Reverendiſſimum Dominum Adamum Damen Eccleſiæ noſtræ præficere contendit.

Deinde ex veteribus Eccleſiæ ſtatutis de ſuo cujuſque Eccleſiæ Clero, ſi quo id modo fieri potuerit, deligendus eſt Epiſcopus, non arceſſendus ex alieno. Quod ſi peregrinus obtrudatur, poteſtas Clero facta eſt eum intrepide liberèque rejiciendi, injuſtamque

vim

Digitized by Google

vim repellendi. * Atqui Reverendiſſimus Damen non eſt Cleri noſtratis, ſed Colonienſis, in quem dum genus vitæ Eccleſiaſticum amplexaretur adſciſci ſe curavit.

Adhæc ſi ſupremi patriæ Moderatores, quo publicæ tranquillitati & ſecuritati conſulant, ad officium ſuum pertinere duxerint Epiſcoporum electioni advigilare, quod ſciant Epiſcoporum vitia vel virtutes permagni eſſe apud Clerum plebemque momenti, omnino è mente Eccleſiæ eſt ut eorum voluntatis ratio habeatur. Cum enim Eccleſia ad corpus ipſius reipublicæ pertineat, cum ſupremorum magiſtratuum ſolicitudine adverſus violentias & injurias quaſcumque protegatur, cum denique complura alia, ampliſſimaque commoda ex eorum adminiſtratione & ſolicitudine percipiat, quis ignorat gratiam illis ab Eccleſia & reverentiam rependendam eſſe, juxta illud Petri effatum, † *Regem honorificate.* Et ex innumeris † 1 Petr. 2.
Hiſtoriarum monumentis conſtat tam Romanos Pontifices quam eorum adminiſtros ſolicitè obſervaſſe, ne quos Epiſcopos deſignarent, antequam cognitam haberent exploratamque Regum ac Principum mentem & voluntatem. Huc facit ſententia illa Hadriani in Concilio Ro-

* *Nullus invitis detur Epiſcopus. Cleri, Plebis & Ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tunc autem alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de Civitatis ipſius Clero cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis merito præferantur. Habeat unuſquiſque fructum ſuæ militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter ſibi vendicare audeat mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari. Et quos ſibi ingeri ex tranſverſo agnoverint, non timeant refutare. Qui etſi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere judicium.* Cæleſtinus ad Epiſcopos Galliæ Epiſt. 2 apud Grat. Diſt. 61. c. 12. Cui adſtipulâtur Papa Gregorius apud eundem Grat. eadem diſtinctione c. 16.

Romano 153. Epiſcoporum & Prælatorum ſuffragiis com-
* Apud Grat. Diſt. 63. c. 22. probata : * *Niſi a Rege laudetur Epiſcopus, a nemine conſecretur.* Gratianus apud quem hæc extat Hadriani ſententia, aliud præterea citat Romanum Concilium, ubi
† Ibid. c. 23. Leo VIII. cum univerſo Clero Romano ſtatuit : † *Ut nemo deinceps quemcumque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſque conſenſu Imperatoris.* Quiſquamne ergo non miretur hominem e Clero Colonienſi Eccleſiæ Batavorum Romano Catholicæ obtrudi Epiſcopum? idque non invito ſolum Clero Batavorum, ſed non conſultâ etiam, imò & neglectâ ſupremorum Ordinum voluntate, quos ſciunt pro priſtinæ libertatis & conſuetudinis conſervatione publicum nuper & ſolemne edictum adverſus arbitrarias iſtas Epiſcoporum Vicariorumve deſignationes promulgaſſe, quin etiam per illuſtrium nec paucorum ſenatorum delegationem huic operi advigilari curaſſe?

Iſtud verò multò magis mirandum, quod poſteaquam repulſam illic tulit Dominus A. Damen, nec favere ſibi Ordines expertus eſt, Illuſtriſſimus tamen ac Reverendiſſimus Buſſius impellere nos non deſinat ut illi ceu Vicario Eccleſiam noſtram ſubjiciamus: quod cum ſub arbitraria pæna ab Ordinibus prohibitum, adeoque non tantum cum apertâ hujus mandati prævaricatione, ſed etiam cum gravi periculo conjunctum ſit, nemo non videt id a nobis in hoc rerum ſtatu nec poſſe præſtari nec debere.

Quæ omnia eo magis mirati ſumus, quod ſummi Pontificis Clementis XI., quem Deus nobis diu præſtet incolumem, ſcopo atque voluntati planè adverſari videantur, nec ulla ratione conſentanea iis Literis quibus Illuſtriſſimo Buſſio poteſtas ſit novum huic Eccleſiæ Vicarium præficiendi. Hæ Literæ 12. Maji 1705. juſſu ſummi

Digitized by Google

ſummi Pontificis a primo ejus Miniſtro Cardinale Paulutio ſunt conſcriptæ, interque alia hæc præcipiunt: *Ante omnia compertum tibi ſit, ei quem deſignare volueris, liberam a D. D. Ordinibus muneris ſui adminiſtrationem, & quali hactenus uſi ſunt Vicarii, conceſſum iri.* Harum literarum habemus exemplum Gallicum, quale Illuſtriſſimus Buſſius, dum patriam noſtram præſentiâ ſuâ condecorabat, cum viris primæ notæ communicavit. Ad hanc amuſſim proceſſit deſignatio Domini Gerardi Potcampii: at de ultimâ, quæ tantas turbas concivit, nullâ id veriſimilitudine quisquam adfirmaverit.

Firmiſſima hæc & antiqua Eccleſiæ noſtræ jura ab adverſariis eo nomine vellicantur, quod per invectam Reipublicæ & Religionis immutationem Eccleſia noſtra ſit formâ ſuâ ſtatuque dejecta, in puram Miſſionem, ut loquuntur, tranſierit, juribus quibusvis exciderit, ut proin nulla hic genuini Cleri, nulla Capitulorum veſtigia ſuperſint. Et has quales quales argutiolas multum ſcimus apud D. Nuncium valuiſſe; adeò quidem ut omnes ſuas agendi rationes his potiſſimum fundamentis ſuperſtruxiſſe videatur.

Ad hæc a noſtris reſponſum eſt, etiamſi ſumma rerum in quapiam regione ad aliter de Religione ſentientes tranſeat, atque inibi Eccleſia externo ſplendore bonisque ac cenſibus exuatur, non tamen protinus cum tali mutatione conjunctum eſſe occaſum Eccleſiæ.

Atque hoc exemplo primævæ apud Romanos Eccleſiæ inluctabiliter evicimus. Illa enim cum per aliquot ſæcula graviſſimè adfligeretur & truculentiſſimis perſecutionum tempeſtatibus jactaretur, ſarta tamen atque tecta privilegia ſua ordinemque ſervavit. Præterea expoſuimus quam gnaviter majores noſtri hac in re decertaverint, proque

B con-

conſervatione Fidei atque Eccleſiæ nihil laboris & diligentiæ prætermiſerint: Oſtendimusque Eccleſiæ noſtræ Epiſcopos etiam poſt mutatam Republicæ formam ad annum uſque 1651. nomen Epiſcoporum Ultrajectenſium apertè geſſiſſe, verèque Ultrajectenſes Epiſcopos fuiſſe: veros hic Capitulares, veros Paſtores, verum Clerum ſuperſtites manſiſſe: Poſtremos Antiſtites, etſi quaſdam ob cauſas ſolo paſſim Vicariorum Apoſtolicorum nomine appellarentur, fuiſſe tamen Ordinarios, & Ordinariâ poteſtate Eccleſiæ noſtræ præfuiſſe: Denique florenti a multis ſæculis Eccleſiæ jura ſua nec perire nec decreſcere per Antiſtitum oſcitantiam & negligentiam, qui per longam etiam annorum ſeriem in iis conſervandis ſocordius ſe geſſerint, ut rectè monuit Hadrianus I. * *Non debet Eccleſia ullum damnum ſui ordinis inde ſuſtinere ſi per Lx. aut Lxxx. & eo amplius annos inertia quorumcumque Præſulum, & vaſtatione barbarorum, dignitatem antiquam, & Romanorum Antiſtitum firmitate roboratam, perdidit & amiſit, quando innumeris pæne annis illa, Spiritu dei diſponente, uſa fuerit.*

* In Epiſtola ad Berterium Viennenſem Epiſcopum.

Nemo non videt agi cauſam ſummi momenti. Quod ad nos verò attinet, numquam recuſavimus legitimum examen, numquam judicium quod ex juris ordine pronuntiandum ſit declinavimus: imò Sanctitatem ſuam quâ potuimus modeſtiâ non ſemel judices flagitavimus, qui auctoritate Pontificiâ inſtructi rem totam ex juris ordine, & ſecundum antiquas Belgarum ac laudabiles uſus, conſuetudinesque expedirent: atque in hac mente etiamnum ſyncerè concorditerque perſtamus.

At quorumdam, qui Eccleſiæ noſtræ non optimè volunt, verſutiâ atque potentiâ aditus nobis ad Sanctiſſimum Patrem præſtructus eſt, preces noſtræ non audiuntur:

tur: atque ut voti ſui potentes fiant, ſub nomine Nuncii Apoſtolici iis artibus pugnatur quæ & Romanæ Sedi probari non poſſint, & tam æquitati quam adminiſtrorum Pontificiorum honori planè adverſentur.

Profectò omnia adverſariorum conſilia non videntur niſi ad Eccleſiæ noſtræ oppreſſionem collineare: jus æquitasque vim patiuntur, & ſusque deque habentur: legitimus juris ordo declinatur: & in conſcribendis ſpargendisque in vulgus quibusdam Epiſtolis ſpes omnis ponitur: quo rudiorum & imperitiorum oculis fallaci quodam fulgore illudatur, populusque conturbetur ac commoveatur, atque ita patriorum ſuorumque jurium propugnatores obterantur.

Sub nomine Illuſtriſſimi Domini Joannis Baptiſtæ Buſſii, Apoſtolici apud Colonienſes Nuncii, & Archiepiſcopi Tharſenſis, miſſæ ſunt nuper & quaquaverſum per patriam noſtram ſparſæ quædam Epiſtolæ, quarum nonnullæ decima octava Decembris anni ſuperioris, aliæ 22. Januarii hujus anni 1709. inſcriptæ ſunt. In iis Epiſtolis omnes ii ſacerdotes quos ſuperiori æſtate in diſtributione Literarum Jubilarium prætererat Dominus Nuncius, atque adeò nos infra ſcripti omnes, atrociſſimè traducuntur & ſugillantur ut Rebelles & in R. Sedem refractarii: ut mercenarii & obcæcati, qui jam pridem conati ſint Vineam Domini devaſtare: ut perſeverantes in abominandis abuſibus, & auguſtiſſima Sacramenta non ſine Sacrilegio adminiſtrantes: Quorum Eccleſiis, Sacris atque concionibus haud tutum ſit intereſſe homini probè Catholico, quibusque nefas ſit Sacramenta diſtribuere. Omnibus præterea tam Regularibus quam non Regularibus Sacerdotibus, quorum ſcilicet in hiſce Literis prædicatur obedientia, permittitur atque etiam injungitur ut eos qui Eccleſiis ſe noſtris

 addixe-

addixerunt ad ſe pelliciant, atque munia noſtra capeſſant: Et quidem graviſſimis his injuriis hæc unica ab adverſariis cauſa prætexitur, quod rebelles atque illegitimi paſtores ſimus, ex quorum regimine probis Catholicis æternæ damnationis periculum immineat. Imò, quæ eſt adverſariorum inſolentia, iiſdem Literis prohibetur ne pro quocumque quem ſub adminiſtratione noſtra mori contigerit, preces juxta Eccleſiæ Romano Catholicæ ritum fundantur. Quæ omnia rudiorum nec diſciplinæ doctrinæque Eccleſiaſticæ ſatis conſultorum animis facile hanc opinionem ingenerent culpam harum turbarum hærere in nobis, atque omnes has vexationes, condemnationes pænasque commerentibus nobis accidere. Ut adeò neceſſe ſit famam noſtram atrociter convelli, munia turbari, atque publicam tranquillitatem labefactari: demum peregrinis, cupidis nec ſatis idoneis Presbyteris oſtium pateſcere, quo greges noſtros invadant, dilanient, devorentque.

Tam paradoxa ratione pro re tam paradoxâ adlaboratur. Quæ demum Eccleſia ſecura erit? Qui Epiſcopi, quæ Epiſcopalia Capitula metu paris inſultationis non extimeſcant? Quæ leges, quæ privilegia ſatis tuta conſtabunt, ſi perantiqua ſummique momenti jura tam indigne peſſumdentur & invitis nobis eripiantur, atque in ipſo Belgio moderatiſſima & modeſtiſſima defenſio crimini vertatur, tamque indignis vexationibus expianda cenſeatur? Enixè ergo ſerioque vicinas omnes Eccleſias, Antiſtites, Capitula atque Collegia, ſingulaque eorum membra rogamus & obteſtamur, ut ad periculum noſtrum animum tantiſper advertere haud dedignentur, ſi fortè interceſſione, conſiliove ſuo aliquid nobis auxilii navare queant, & operam ſuam conferre ad imbecillitatis noſtræ fulcimen-

mentum, tamque feralium offendiculorum depulſionem. Uti enim Sedis Romanæ ac S. S. Patris Clementis XI. (quem Deus in eadem Sede ad Eccleſiæ ſuæ commodum diu ſervet incolumem) germano honori ſynceræque gloriæ ex animo favemus, ita acerbiſſimè ferimus ejus auctoritatem hiſce agendi rationibus apud complures non inſulſo ingenio viros, tam intra quam extra Eccleſiam non parum inobſcurari: & huic Romanæ Sedis injuriæ plus quam propriis malis ingemiſcimus.

Quandoquidem verò in graviſſimâ hac occaſione tacere nobis haud integrum ſit, idcirco exemplo Cleri Amſtelædamenſis & Ultrajectenſis poſt maturam deliberationem, & cæleſtis luminis conſiliique invocationem coram Deo atque univerſo mundo teſtamur, denuntiamus atque declaramus quod nemo hactenus noſtrum de rebellione, abominandis abuſibus, aliove quovis crimine juridicè interpellatus auditusve, nedum convictus ſit: Quod per divinam gratiam certiſſimè confidamus neminem noſtrum de hujusmodi criminibus per quæ ſupra recenſitas pænas commeruerit convinci poſſe: Quod eam obedientiam ac ſubjectionem quâ vicini noſtri in Germania, Gallia, Hiſpania, Belgio Hiſpanico, alibique officium ſuum in Romanam ſedem hactenus explent, Majoresque olim noſtri in his ipſis regionibus expleverunt, numquam detrectaverimus, neque modò detrectemus: Quod paratiſſimi ſimus eos Vicarios, id eſt Antiſtites qui Epiſcopalibus hîc muniis ſub Vicariorum nomine fungantur, recipere qui nobis ſalvo Eccleſiæ noſtræ jure atque libertate, nec adverſantibus Supremis Ordinibus, præficientur: Quod hanc ipſam controverſiam, num Eccleſia noſtra jus ſuum ordinemque ſervaverit, an iis verò dejecta ſit, inque nudam Miſſionem

 trans-

transformatæ de ordine impoſterum atque juribus hiſce-re piaculum ſit, legitimâ ſententia terminari conſentiamus: Sed in eâ opinione verſemur ignaviſſimè nos facturos, & tam apud poſteros quam apud Deum atque homines noſmet gravi piaculo obſtricturos ſi tam gravis momenti cauſam ante omnem legitimam ſententiam abjiceremus: Quod Romanum Pontificem, ut conſpicuum Eccleſiæ caput, & Petri ſucceſſorem, eâ quâ par eſt veneratione proſequamur, deque ipſius atque omnium ejus ſucceſſorum privilegiis ea omnia ſentiamus atque credamus, quæ ſuper hac re in Profeſſione Catholicæ Fidei credenda proponuntur: Quod propterea ea omnia quæ in hiſce Literis adverſus nos & collegas noſtros ab adverſariis deblaterantur, abſurdas, injuſtas, falſas, ſciſmaticas & ſeditioſas fictiones eſſe ſtatuamus: Quodque eos omnes qui has nobis criminationes ex eo capite impingunt, gregem noſtrum perturbant, plebemque ſubdolis artibus a nobis avertunt, quique nobiſcum vel cum iis qui noſtræ curæ commiſſi ſunt, Eccleſiaſticam ſervare communionem detrectant, ſtatuamus eſſe calumniatores, falſos criminatores, Eccleſiæque atque tranquillitatis perturbatores; quod quidem tam diu ſtatuemus dum ex juris ordine, juxta ſtabiliſſimas Eccleſiæ atque æquitatis regulas, & antiquas Belgii probataſque a ſummis Pontificibus conſuetudines, tam enormis culpæ quæ tam gravi notari infamiâ mereatur convicti fuerimus.

Cumque præter refutatas jam Epiſtolas aliæ inſuper Litteræ ſub nomine ejuſdem Illuſtriſſimi Nuncii per patriam circumferantur, quibus adverſarii præclaros e Clero ſacerdotes in ſuſpicionem malæ doctrinæ fideique adducere moliuntur, qualis eſt Epiſtola menſe Julio ſuperioris anni

ſcripta

ſcripta ad Dominum N. Beuns Harlemenſem , quâ Eximius Dominus Martinus Swanius Decanus Capituli Harlemenſis exagitatur ut excommunicatus, vitandusque ſub pæna æternæ damnationis , & perverſis opinionibus imbutus : Sed & Capitulares Ultrajectenſes inſimulantur cumdem *forte Swanium perſuaſionibus ſuis ſeduxiſſe, & apertius puritati Religionis Catholicæ in Fæderato Belgio inſidiari : quin etiam ſub larvata pietatis ſpecie fundamenta Catholicorum convellere:* Cum præterea hæc accuſatio ſit graviſſima , & de illarum genere quas ſilentio præterire probis Chriſtanis nefas ſit , iterum coram Deo qui vivos mortuosque judicabit , teſtificamur nos omninò neſcire quo colore quâve rationis ſpecie tam contumelioſæ nobis criminationes impingantur. Fundamentum fidei noſtræ eſt Verbum divinum , a quo traditum Dei Verbum minimè ſejungimus ; excuſas ex proprio cerebro explanationes quam poſſumus ſtudioſiſſimè devitamus ; Eccleſiam , inconcuſſam veritatis columnam, fidelemque divini Verbi cuſtodem & interpretem , cui Chriſtus ex promiſſione ſua ad finem uſque ſæculorum præſidebit , in omnibus audire ſatagimus : a profeſſione Fidei Romano Catholicæ ne apice quidem diſcrepamus: Famoſos quinque Articulos , vulgò Propoſitiones Janſenianas , ſynceriſſimè repudiamus , idque quocumque ſenſu a ſupremis Pontificibus & a Romana Eccleſia repudiatæ atque damnatæ fuerunt ; ut ne unus quidem improbatus ſenſus in medium proferri poſſit quem non repudiemus. Easdem Propoſitiones ubivis , & in quibuscumque libris extiterint rejicimus , etiam in Libro Janſenii ſi eo libro contineantur. Adeò ut Illuſtriſſimum Nuncium etiam atque etiam rogemus eum nobis articulum,

lum, eosve articulos accuratè indicari, quibus Catholicæ Religioni inſidiemur, vel fundamenta Catholicorum convellamus: Id nos ipſimet, id Archiepiſcopus Sebaſtenus jam a ſex ſeptemve annis Sanctiſſimum Patrem ejusque adminiſtros ſæpe rogitavimus: id Illuſtriſſimum Dominum Nuncium, cum eum a triennio in provincia noſtra ſalutaremus, enixè efflagitavimus: Argumento eſſe poteſt Epiſtola huic Proteſtationi ſubnexa quæ a Capituribus Ultrajectenſibus ſexta Julii 1705. ad D. Nuncium ſcripta fuit: Has eaſdem preces Collegæ noſtri, cum Coloniam de pace acturi adiiſſent, renovarunt, nosque ipſi hac Proteſtatione palam redintegramus: non inani fortaſſis perſuaſione confiſi per ejuſmodi declarationem pateſcere poſſe accuſatorum noſtrorum errores, quibus ipſimet forte impliciti, veritati quam ipſi non patiantur, per ruinam noſtram exitium machinantur, * *Ponentes lucem tenebras & tenebras lucem:* Atque eò inſolentiæ forſitan progreſſi ut maleſanas ſuas aut ſaltem a fide diſcretas ſententias quæ ad religionis integritatem nihil faciunt, inter fidei articulos reponere contendant: † quod profecto eſſet intolerabilis arrogantiæ, (*a*) nec minoris periculi, quam ſi veritatibus divinæ religionis, divinoque Verbo quibus illæ nixæ conſiſtunt, demere quidpiam, ſubtrahendo, conarentur. Neque iſtud prorſus incredibile eſt, gravia quædam facinora, abſurdasve ſententias quarum rei nullo modo ſimus, in nos conficτas eſſe. Ex accurata & exacta declaratione alterutrum eluceſceret: quæ & inſtructionis nobis atque admonitionis vice eſſet, ſi rectam forte ſanamque doctrinam, ad quam tamen collineamus,

* Iſai. 5.

† Non eſt minus hæreſis aſſerere aliquid de fide quod nullatenus de fide eſt, quam negare aliquid de fide quod eſt de fide. Joann. Maj. in 3. Sent. Diſt. 37. Q. 26.

(a) *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ Libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Apoc. 5.

neamus, non uſquequaque adſecuti eſſemus. (*b*) Ingenue enim cum Auguſtino confitemur, tantis infirmitatibus atque tenebris circumſeptos, facile nos alicubi aberrare poſſe: at hæreticæ obſtinationis cum eodem Auguſtino per divinam gratiam immunes nos fore confidimus.

Inſuper denuntiamus, nos harum ſimiliumve Epiſtolarum concinnatores atque divulgatores, aliosque quoſcumque qui legitimas & præſcriptas ab Eccleſia vias prætereuntes, fidem noſtram doctrinamque his artibus oppugnabunt vel modo oppugnaverunt, ſeditioſorum & calumniatorum in loco poſituros eſſe: * ita tamen ut *parati ſemper ſimus ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe.* * 1 Petr 3.

Poſtremùm cum iiſdem in Literis etiam mentio facta ſit de *Bullâ Cænæ*, quæ neque in his viciniſve Provinciis, neque in permultis aliis regionibus umqum recepta aut uſu conſtabilita fuit, & quædam in eâ Bullâ notatæ excommunicationes commemorentur, quibus Dominus Swanius ſeſe obſtrinxerit: quod æquali ratione urgeri poſſet adverſus alios quoſdam qui Swanio haud ignavius pro juribus atque innocentia Cleri decertaverunt, atque etiamnum decertant: Cumque in aliis præterea Literis, quæ itidem nomen Domini Nuncii præ ſe ferunt, graves interminationes expreſſæ ſint Pænarum, Cenſurarum, Excommunicationum, Fulminumque Pontificiorum;

C quò

(b) *Homines ſumus. Unde aliquid aliter ſapere quam res ſe habet, humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam vel invidendo melioribus, uſque ad præcidendæ communionis & condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium pervenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo autem aliter ſapere quam res ſe habet, angelica perfectio eſt. Quia itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus, quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præſumtionem diaboli non habeamus*, &c. Lib. 2. de Bapt. contra Donat. c. 5.

Digitized by Google

quò ſcilicet unicuique noſtrum animus metu fatiſcat, nec cuiquam impoſterum lubeat pro jurium noſtrorum defenſione, aut adverſus deſignationem Reverendiſſimi Domini A. Damen verbulo mutire: Cumque prudentiæ ſit hujusmodi offendicula pro viribus amoliri:

Idcirco inſuper denuntiamus, quod certum nobis ſit debitam ſummis Pontificibus, legitimisque eorum adminiſtris obſervantiam atque obedientiam, adjuvante Deo, ſemper exhibere; imo idem obſequium præſtare, quo Vicini noſtri in Brabantia, Flandria, Gallia, Germania, totoque pæne terrarum orbe officio ſuo erga Romanam Sedem ſatisfaciunt, Majoresque noſtri ab omni memoria ſatisfecerunt: Quod nihilominus ſuper iniquis his agendi rationibus, quibus id agitur ut inauditi nec ſervatis juris regulis, patriis juribus, honore, famaque exſpoliemur, ſolemniter proteſtemur; atque adverſus Cenſuras quæ nomine Illuſtriſſimi Nuntii nobis intentantur, jam nunc quantum neceſſe ſit & expediat, ipſum Pontificem appellemus, & Proteſtationem atque Appellationem quam 1. Aprilis 1703. cum centum circiter & quinquaginta Collegis edidimus renovemus. Parati ſumus has ipſas de Eccleſiæ noſtræ juribus ſtatuque, pro quibus ex officio certamus, controverſias ſummi Pontificis judicio permittere, cum eas juxta eccleſiaſticas & ſæpius adprobatas a Romanis Pontificibus Belgarum leges haud gravabitur audire atque decidere. Quod ſi etiam iſta ratione commeruiſſe pænas & Cenſuras comperti fuerimus, nec puniri nec Cenſuris percelli recuſamus: ſed ad Epiſtolas quasdam, nullâ judicii formâ, nobisque inauditis, & ex falsâ quorumdam ſuggeſtione publicatas talis momenti cauſam deſerere, haſtamque, ut ajunt, abjicere nefas arbitramur. Quod ſi regulæ iſtæ atque leges, quibus ceu repagulis

Belgarum

Belgarum libertas continetur ac defenditur, ſusque deque habeantur, & neque legitimo ordine auditi, neque citati Excommunicationibus aut Eccleſiaſticis cenſuris exagitemur, atque tali ratione inflictæ cenſuræ juſſu Illuſtriſſimi Nuntii, vel cujuſcumque præterea judicis, ſive per literas ſive quavis alia via in vulgus ſpargantur, palam teſtificamur tales a nobis cenſuras ac cenſurarum evulgationes, ceu vanas, irritas atque caſſas, mentique Apoſtolicæ Sedis adverſas neglectum iri.

Cæterum quoſcumque Rectores, quibus impoſitum a Deo onus eſt vim atque injurias a ſubditis ſuis propulſandi, atque publicam tranquillitatem conſervandi, ſuppliciter obſecramus ut haſce vexationes, quæ in nullis benè conſtitutis regionibus tolerantur, iis rationibus compeſcant, quas pro ſapientiâ atque æquitate ſuâ potiſſimùm expedire judicaverint.

At chariſſimas Oves noſtras, pro quarum conſervatione, ex imperio ſummi Paſtoris Jeſu Chriſti, cum mortis etiam periculo excubare debemus, & quarum æternam ſalutem præ cæteris rebus cordi habemus, per amorem ejuſdem Servatoris noſtri obteſtamur ut germanam atque Chriſtianam ſapientiam conſulant: & ſimplicitatem columbæ cum prudentia ſerpentis copulantes, præſentibus offendiculis non commoveantur.

Meminiſtis, dilectiſſimi, quantâ vos accuratione de Petri, ejuſque ſucceſſorum primatu, deque debitâ ſupremis Pontificibus eorumque legatis obſervantiâ & obedientiâ commonuerimus & inſtituerimus. Haſce inſtitutiones memori mente recondite; at ſimul attendite non omnibus quæ Legatorum Pontificiorum nomine jactitantur, adhibendam fidem aut deferendum obſequium eſſe: poſſe eos ut homines falſis delationibus circumveniri; poſſe

injuſta præcipere: quod factu maximè proclive eſt, ſi Eccleſiæ, aut ii quorum cauſa agitur, longius abſint: eoque magis ſi ad juris & Eccleſiaſticarum legum amuſſim non exacte omnia dirigantur. Huc reſpexit Papa Gregorius in memorabili illa ſententia: * *Admonendi ſunt ſubditi ne plus quam expedit ſint ſubjecti: ne cum ſtudent plus quam neceſſe eſt hominibus ſubjici, compellantur vitia eorum venerari.* Ne ſinatis vos ergò vagis quibusdam perverſarum doctrinarum aut Excommunicationum rumoribus adduci, ut de legitimis veſtris atque immerentibus paſtoribus malè ſentiatis. Calumniis onerari & juri non conſentaneis diffamari Epiſtolis, vel juxta normam juris convinci & condemnari, ſunt res longè diverſiſſimæ, totoque, ut ajunt cælo differentes. Iſtud verò diligenter conſiderate, poſt tam longum tempus ne apicem quidem nobis indicatum eſſe, quod tam crebrò tamen atque enixè rogavimus, in quò fides noſtra, doctrinave claudicent. Addite neminem omnino noſtrum juxta regulas juris de quovis crimine interpellatum, nedum juſtâ Excommunicatione adflictum eſſe; adeoque nihil eſſe cauſæ, cur Eccleſiaſtica cùm quopiam noſtrûm communio abrumpatur. Quod vero ad Eccleſiaſticæ noſtræ libertatis, quæ vobis nobiſcum communis eſt & pro filiorum veſtrorum bono ſuſcipitur, defenſionem attinet, ab eâ ſine manifeſto ſalutis periculo deſiſtere non poſſumus; quæ eſt quidem ſententia ſancti Chryſoſtomi, hunc in modum ad Epiſcopos & Epiſcopalium Eccleſiarum primores perorantis: † *Qui Epiſcopatum ſortitus eſt, non oportet eum minuere magnitudinem iſtius poteſtatis, ſed animam potius exuere, quam authoritatem huic principatui a Deo de cælo attributam. Qui enim hoc modo moritur, etiam poſt mortem omnibus prodeſſe poterit. Qui vero hunc ordinem deſe-*

* Apud. Gratian. C. 2. Q 7. Can. 57

† Orat. 2. in S. Babyl.

*deſeruerit, non ſolum poſt mortem proderit nemini, ſed etiam viventium quibus præeſt molliores plures efficiet, & ipſe apud extraneos vituperabitur, & ridiculus efficietur: & hinc abiens non ſine ingenti ignominia ac pudore ſiſtitur ad tribunal Chriſti, indeque rurſus ad caminum ardentem rapient eum illæ quæ ad id ordinatæ ſunt poteſtates.* Graviſſimè ſanè hæc verba animum noſtrum adficiunt: graviſſimè itidem adficiunt verba * Yvonis Carnotenſis, atque etiam Sancti Cypriani ab Yvone citati: „ De tantillo juris quod habent Eccleſiæ noſtræ nec volumus nec „ debemus cedere: cum B. Cyprianus dicat. † *Quam periculoſum ſit in divinis rebus ut quis cedat jure ſuo & poteſtate, Scriptura ſacra declarat: cum Eſau primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere id poſtmodum potuerit quod ſemel ceſſit.*

* Yvo Carnot. Epiſt. 60.

† Epiſt. 6. Lib. 1. ad Magnum.

Dum nos in talibus ſententiis, atque in exhibenda Sanctiſſimo Patri noſtro ejuſque adminiſtris, quam debemus, obedientia atque veneratione toti verſamur, nihil vobis tutius Chariſſimi ſecuriusve eſſe poteſt, quam ut a ſiniſtris judiciis abſtineatis, ad Deum toto animo ſuſpiretis, Eccleſiis veſtris adhæreatis, pacem atque unitatem quantum licet colatis, ſchiſmata devitetis, & obtrectationes calumniasque nihil moremini; confirmati magnificis illis apud Iſaiam verbis: ‡ *Audite me qui ſcitis juſtum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea: ſalus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea in generationes generationum.* Obſervantiam atque obedientiam præſtate Pontifici Romano: ſed eâ ratione ne Deum, ne Cæſarem, ne Eccleſias veſtras jure ſuo fraudetis. Eccleſiam veſtram

‡ Iſai. 51.

ne redigite in ſervitutem quam vos, quam poſteri veſtri defleatis: a legitimis Paſtoribus ne diſcedite, neque ad alios tranſite qui in ſervitutem vos redigant, qui vos devo-rent, * qui vos deprædentur, ſeſeque inſolentiâ extollant, atque in faciem vos cædant: quique cæcam obedientiam non aliam ob cauſam ita commendant, quam ut ſub ea larva dominationem in vos ipſos atque in res veſtras tanto liberius exerceant.

* 2 Cor. 11.

Deum potius conjunctis precibus rogemus, ut ventis atque mari imperitans, furentem procellam tranquillet: offenſationes noſtras, quibus neque paucis neque levibus obſtricti tenemur, tamquam unicam divini furoris tamque exitialium turbarum cauſam, miſſas faciamus: atque cum ſyncera pænitentia vitæque emendatione Domino ad pedes accidamus, cujus ſcilicet ira, peccatis noſtris accenſa, non eſt implacabilis, quique nos per Salomonem hunc in modum adſatur: † *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.*

† Prov. 16.

Actum 10. Aprilis
1709.

HUGO VAN HEUSSEN S. T. L. Capitularis Eccleſiæ Romano-Catholicæ Ultrajectenſis, Vicarius Capituli, Paſtor LUGDUNI BATAVORUM.
THEODORUS VERHOOG Vicepaſtor Lugduni Bat.
JOANNES CHRISTIANUS VAN ERKEL J. U. L. Capitularis Eccleſiæ Romano Catholicæ Ultraject., Archipresbyter Delflandiæ, Paſtor DELPHIS.
MATHIAS OOSTERLING S. T. D. Protonotarius Apoſtolicus, Rector Begginagii, Paſtor Delphis.
IGNATIUS VAN HEININGEN, S. T. B. F. olim Paſtor Dordraci, modo Vicepaſtor Delphis.
TIMOTHEUS HETTEMA, Vicepaſtor Delphis.
PAULUS ROSKAM, antehac Archipresbyter Cliviæ, modo commorans Delphis.

PE-

PETRUS VAN CUYK Capitularis Eccleſiæ Ultrajectenſis Romano-Catholicæ, Archipresbyter Schielandiæ, Paſtor ROTERODAMI.
JACOBUS TIMMER Paſtor Roterodami.
JOANNES VANDEN BERG Vicepaſtor Roterodami.
WILLIBRORDUS WEITMANS Vicepaſtor Roterodami.
GUILELMUS VAN DALENNOORT, Capitularis Eccleſiæ Ultrajectenſis Romano-catholicæ, Paſtor HAGÆ COMITUM.
THEODORUS VANDER KROON Vicepaſtor Hagæ Comitum.
PETRUS TYBOSCH S. T. B. F. Protonotarius Apoſt. Paſtor DORDRACI
JOANNES FRUYM Paſtor Dordraci.
ARNOLDUS JODOCUS SLIGTERMAN Vicepaſtor Dordraci.
SEBASTIANUS VERWEL Paſtor GOUDÆ.
HILDEBRANDUS VANDER WIEL Paſtor Goudæ.
IGNATIUS WALVIS Paſtor Goudæ.
GUILELMUS WANNAERT Vicepaſtor Goudæ.
JOANNES TIBBEL S. T. D. Protonot. Apoſt. Paſtor SCHIEDAMI
HENRICUS LANSING Paſtor SCHOONHOVIÆ.
GODEFRIDUS VALKENBURG Paſtor GORCOMII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# EPISTOLA

## A Capitularibus Eccleſiæ Ultrajectenſis Romano-Catholicæ ſextâ Julii 1705. ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Joannem Baptiſtam Buſſium, tum temporis Apoſtolicum Bruxellis Internuntium, cum Hagæ Comitum commoraretur, exarata: cujus Epiſtolæ ſupra pagina 16. facta eſt mentio.

*Illuſtriſſime ac Reverendiſſime* DOMINE.

NOn mediocriter gaviſi ſumus, quando intelleximus Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Tuæ in haſce partes adventum; ſpe conceptâ, quod Eccleſiaſticæ pacis reſarciendæ cauſa itineris hujus laborem ſuſceperis: procul dubio à Sanctiſſimo Domino, cujus inter Legatos inſigniores numeraris, facultate inſtructus ad iſtud negotium neceſſaria. Speravimus hac occaſione aut nos intellecturos, quinam in ſpecie ſint pravæ doctrinæ ac diſciplinæ articuli, qui nobis imputantur in Litteris Sanctiſſimi Domini & Eminentiſſimorum quorumdam Patrum nomen præferentibus, aut Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram intellecturam, falsò noſtram innocentiam ejuſmodi criminationibus impeti: quod poſtremum non admodum difficile apparet, modò media ad

D veri-

veritatem aſſequendam idonea, & Apoſtolicæ Sedis Miniſtris maxime digna adhibeantur.

Si quoſdam à nobis deputandos, & eos pariter qui noſtram doctrinam aut diſciplinam traducunt, ad ſe advocare dignabitur Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, atque illorum objectiones noſtraſque reſponſiones, & ea quæ nos viciſſim illis objecturi ſumus, exactè ac coram audire, ægrè poterit latere à qua parte ſtet æquitas aut iniquitas: poteritque de Batavæ Eccleſiæ diſſidiis ex veritate conſcripta relatio in Urbem mitti. Novit Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ prudentia, quantum ſit aberrationis periculum, ubi fere diſſidentium inter ſe pars altera tantum auditur. Optaremus ut nobis in hac parte (ſit venia verbis liberioribus) liceret magis eſſe ſecuros. Quartam jam, Illuſtriſſime Domine, hebdomadam apud Batavos agis, totus propemodum, uti palam fertur, ab iis obſeſſus, qui alienum à Clero gerunt animum; nemine, qui Clerum velit & poſſit tueri, advocato; in Oratorio, quod tuâ frequentatione honoras, etiamnum è Verbi Divini Cathedra atroces in Clerum calumniæ reſonant. Ingenue fatemur quod iſta nobis non levem metum incutiant, tametſi cauſam noſtram arbitremur juſtiſſimam, & de Sanctiſſimi Domini Noſtri, necnon Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ erga juſtitiam affectu minimè dubitemus. Multiplex experientia docuit Viros etiam optimos mendaciis & fraudibus quorumdam, quos ſynceros habent, poſſe falli.

Æqui igitur bonique conſule, Vir Illuſtriſſime, ut quantum in nobis eſt, ad periculum iſtud avertendum vigilemus, atque quam poſſumus enixe petamus diem ſtatui, quâ adverſarii coram Illuſtriſſima Dominatione Tua in nos proferant, quidquid iis viſum fuerit; facultate nobis facta Deputatos mittendi, ad ſingula reſponſuros; & præterea etiam

etiam quæ nos in adverſariis reprehendimus viciſſim prolaturos. Tantum enim abeſt nos illos cenſere innoxios, ut econtra ex pravis illorum principiis Theologicis profluere judicemus criminationes, ſi non omnes certè quam plurimas, dum ipſi errantes, & ſanam doctrinam non ſuſtinentes alios errare putant, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

Nequis autem alterutri parti locus relinquatur quæ dicta fuerint negandi, aut, ut fieri ſolet, aliter quam veritas habet, referendi, fiat nobis facultas Notarios publicos, aut Protonotarios Apoſtolicos duos adducendi, qui cuncta ultro citroque dicenda calamo fideliter excipiant, ſimili Notariorum adducendorum poteſtate Adverſariis conceſſa. Non enim ad aliud reſpicimus, niſi ut aditu falſitati præcluſo veritas ſola obtineat. Hac ratione S. Auguſtini ætate Catholicos inter & Adverſarios collatio inſtituta fuit: nihilque lucem amantibus, nec tenebras quærentibus, magis amabile.

Fatemur ad iſtiusmodi collationem horas aliquot requiri; at tantum eſt rei hujus momentum, ut tantillum temporis & laboris abunde mereatur, modò feliciter queat abſolvi.

Ad alias conditiones, quas forte jam memoratis addendas cenſebit Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, faciles nos inveniet, & eas Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ arbitrio permittimus.

Si quis metuat ne hæc collatio Supremæ Poteſtati hujus Regionis diſpliceat, aut periculum aliquod tum nobis, tum nobiſcum congreſſuris creët, parati ſumus, modò annuas, Patriæ moderatores adire, ut ſcrupulus iſte eximatur: credimus enim quod ab eorum æquitate ad congreſſum, quem petimus, facile ſimus veniam impetraturi.

Si quid difficultatis deinceps ſupererit, Apoſtolicæ Se
in judicio canonico & legitimo ſententiam pronunti
ræ, nos libenter, ut filios decet, ſubmittimus. Cau
noſtram iſta ratione excutiendo, fideliterque Sanctiſſi
Domino Noſtro referendo, & judicium Canonicu
quale petimus, promovendo, non tantum Eccleſiæ
tavæ inſigne beneficium præſtabis, ſed & Sanctæ Se
gloriam promovebis, imò tuum ipſius nomen præcl
ornamento illuſtrabis. Subſcribimur tum proprio, t
cæterorum Capitularium Ultrajectenſium nomine,

*Illuſtriſſime ac Reverendiſſime*
*Domine*,

Die 6. Julii 1705.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſi
Dominationis Veſtræ Ob
vantiſſimi Famuli

HUGO VAN HEUSSEN S. T. L. Capituli Ultrajectenſis V
rius.
JACOBUS CATTUS Vicarius Capituli
JOANNES CHRISTIANUS VAN ERKEL Capitularis Ultr
jectenſis.
CORNELIUS STAKENBURG Capitularis Utrajectenſis.

Digitized by Google